



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

producta : ergo per se ipsam formaliter terminat tunc actionem productivam : ergo essentia provt condistincta ab existentia superaddita habet esse actuale in rerum natura. Patet consequentia , quia illud habet esse actuale in rerum natura quod est de nouo à parte rei ; nec potest dici tunc produci de nouo unionem , quia in ipsa unionem habet locum hoc argumentum quomodo scilicet ipsa essentia unionis producat , quod si concedatur semel essentiam unionis per se ipsam solam terminare actionem productivam , & consequenter per se ipsam solam intrinsece esse extra causas & existere , idem dicendum erit de reliquis essentiis.

195 Dices posse separari essentiam ab hac numero existentia & ab illa & ab omnibus diuisione , non vero ab aliqua sub diuisione , & ab omnibus collectiue & hoc sufficere ad eas distinguendas sicut ob similem separabilitatem distinguitur ubicatio & duratio à re ubicata , & durante , ex hac vero separabilitate non sequuntur absurda quæ supra inferebantur.

196 Sed contra primo manifeste , quia ex hoc sequitur essentiam ab æterno esse coniunctam cum aliqua existentia sub diuisione , quia per vos essentia non potest collectim separari ab omni existentia , quando vere datur essentia , sed ab æterno vere per vos fuit essentia : ergo ab æterno fuit cum aliqua existentia : ergo ab æterno existerat essentia hominis v. g. sed non existerat media productione Dei , quia Deus nihil ab æterno produxit sed in tempore : ergo à se ipsa existerat essentia : ergo existerat vt Deus sine vlla causa : ergo est Deus quæcumque essentia ; sed hoc est hæreticum : ergo falsissima est solutio aduersariorum.

197 Secundo contra , quia essentia est res absoluta ac simpliciter , item existentia est res absoluta ac simpliciter & non modus : ergo essentia non solum diuisione sed etiam collectiue potest separari ab omni existentia , & existentia ab omni essentia vt videre est in accidentibus Eucharistiæ , quæ non solum diuisione , sed etiam collectiue separantur ab omni substantia quia sunt res & non modi , etiam si sint res imperfectissimæ.

198 Tercio contra , quia adhuc manet tota difficultas vt optime notauit Arriaga. Rogo enim an quoties mutatur existentia mutantur actiones productivæ essentia an non ? si non mutantur : ergo manet conseruatio eadem essentia variatis existentis : ergo essentia vt condistincta ab existentia terminat actionem productivam distinctam quæ ponitur extra causas : ergo etiam vt condistincta ab existentia existit. Si vero mutantur productiones circa essentiam : ergo quia non manet eadem numero essentia actualis modo quæ antea , quod est contra suppositum. Sequela patet , non secundum mea principia sed secundum principia Thomistarum , cum quibus pugnamus , quia si essentia actualis est eadem modo quæ antea , vt quid debet variari actio terminata ad ipsam essentiam cum habeat nunc eundem terminum quem antea ?

199 Et si dicas illam actionem variari eo quod terminetur ad existentiam quæ mutatur & variatur.

200 Sed contra , quia id repugnat , cum enim in vestra sententia existentia educatur ex potentia essentia , sic necessario vt actio qua producit existentia debeat dependere ab essentia & causari ab ipsa tanquam à subiecto educationis , si autem ex alia parte ea actio sit eadem cum ea qua ipsa essentia producit , sequetur rursus essentiam esse causam actionis primo productivæ sui ipsius , & consequenter esse causam sui , quod nequæ à se neque ab alio conceditur , sed ab

omnibus negatur. Deinde quia licet posset per eandem actionem produci essentia & existentia adhuc illa actio habebit duos terminos vere productos extra causas & habentes entitates actuales distinctas , & consequenter quilibet provt condistinctus ab alio existet vt supra asseribamus ; unde non est necesse vt ambo per vnā terminus permanens est ; alius successus ; nam si concedatur duas res vere produci , & duas res verè de nouo esse in rerum natura , nulla res poterit proprie creari vt supra diximus.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad loca sancti Hilarii , & Boëtii , respondeo locis. **A**cutos fuisse hos Doctores de distinctione reali inter essentiam actuale & substantiam creatam quam nos fatemur distingui à parte rei. Hilarius vero dum existentiam creatam vocat accidens , non intelligit existentiam esse accidens physicum , sed solum metaphysicum , comparatum quidem non cum essentia actuali , sed cum essentia possibili , quia tali essentia vt possibili concepta accedit existentia actualis etiam si non accidat essentia actuali ; quia identificatur cum ipsa adhuc per rationem vt *quest. sequenti* dicetur , vel si vis responde eodē modo ad diuum Hilarium in hac locutione ac responsum est ad Boëtium Severinum , dicendo diuum Hilarium locutum fuisse nomine esse non de existentia , sed de substantia , vt patet ex toto contextu lib. 6. de Trinitate , vbi sape substantie vocat esse diuus Hilarius.

Ad loca diui Thomæ facili ab aliquibus exhibetur responsio respondendo Angelicum Doctorem oppositum nostræ sententiæ docuisse , ab ipsoque recedendum esse necessario in hoc negotio , neque posse in omnibus præcipue philosophicis rebus vestigiis tanti Doctoris insisteri.

Verum in re graui non est tam facile & clare recedendum à diuo Thomæ , sed potius aliqua querenda est verborum eius explicatio. Vnde multum probat auctores illos qui Angelicum Doctorem quoties esse distinguit ab essentia in creatis volunt intelligendum non de esse existentia , sed de esse substantia quod ex natura rei distinguitur ab essentiis rerum præsertim libro contra Gentes , cap. 52. & 53. vbi probans ex insinuatione in creatis compositione ex natura , essentia & esse , per esse intelligit ibi substantiam vt patet ex iis verbis quæ ab ipso Angelico doctore profertur cap. 52. citato [illud igitur quod est substantia (per suam essentiam) non potest esse nisi vnum tantum ; ostensum est autem quod Deus est suum esse substantia , nihil igitur præter ipsum potest esse suum esse] (hoc est) substantia. Eodem modo loquitur de esse personali & substantia tertia parte , *quest. 17. art. 2.* vbi conuertit esse cum substantia , & meo videri prima parte , *quest. 6. art. 3. ad 2.* qui est locus adductus contra nos ab aduersariis , eodem modo loquitur , ac proinde eodem modo explicandus est.

Alij Doctores aliam explicationem vniuersalem tribuunt huic loco & alijs diui Thomæ dicentes , quotiescumque asserit existentiam distingui realiter ab essentia locutum fuisse non de essentia actuali , sed de essentia possibili ; & ratio est manifeste , quia diuus Thomas ideo asserit existentiam distingui à parte rei ab essentia , quia essentia est omnino necessaria à se fundans propositiones æternæ veritatis : at qui essentia actualis quatenus actualis nullo modo est necessaria à se , sed potius est contingens & li-

bere producta, ac proinde potest esse & non esse, sicut ipsa existentia; neque in hac fundatur propositiones æternæ veritatis; sed in essentia in potentia seu possibili ut patet ex supra adductis pro nostra sententia; & hæc est à se & necessaria omnino omni genere necessitatis, ut à nobis probatur, & ostenditur *tractatu de possibilitate*; ergo euidenter sequitur quando diuus Thomas asserit existentiam distinguere à parte rei ab essentia non loqui ipsum de existentia comparata cum essentia actuali; sed potius comparata cum essentia possibili, de qua nos etiam libenter fatemur distinguere ab existentia actuali à parte rei & separari ab illa, siquidem ab æterno datur essentia possibilis & non datur ab æterno existentia actualis, & hæc sufficiunt de mente diui Thomæ; nisi velis dicere voluisse diuum Thomam existentiam distinguere ab essentia actuali per maiorem, & minorem expressionem, hoc est per rationem.

105 Ad locum sacre Scripturæ deductum ex 3. libro Exodi 14. optime respondet P. Hurtado his verbis: Fateor me non percipere, quid ex hoc testimonio à Patribus inferant. Aloysius Legionensis opinatur nomine, qui est, non intelligi existentiam, sed veritatem & fidelitatem qua Deus stat promissis ut eo signo seniores populi intelligerent à Deo Moysen missum, quia ipsi expectabant ut Deus statet promissis quod illorum labores levaret spe: est ergo sensus: dic populo illum, quem ipsi spectabant ut fidelem in promissis tibi dedisse hoc signum, quod erat illis notum ignotum aliis, qui non sciebant utrum Habreï expectarent Deum; aliud autem signum erat adeo notum ut per illud non posset credi Moysi, id enim quis è foro posset dicere hispane, *no eran buenas sensas*, sic ille; dico ergo eo testimonio evinci non hoc quod Legionensis colligit quia singulare est, ut ipse fatetur, sed Deum esse per essentiam existentem, quia est existens non ab alio sed à se ratione cuius repugnat illi maxime esse in potentia logica ad existendum; unde in Deo nullo modo distinguitur possibilitas ab existentia, & posse esse ab ipso esse, quia idem est in diuinis esse ac posse, ut sæpe reperitur in Concilio Niceno; imo arbitror nec posse concipi Deum nisi ut existentem, quod discernim habet Deus, tamen si existentia & essentia actualis creatæ sint idem; quia tam essentia quam existentia possunt esse & non esse; quia existunt dependentes à libera Dei voluntate, & concipiuntur sub conceptu omnino necessario sine existentia, non tamen propterea essentia actualis distinguitur ab ipsa existentia actuali, ita Hilarius ait non posse non esse id quod est ipsum esse. *Glossa* interlinearis qui sunt (inquit) proprie immutabiliter. Lyana significat scilicet necessitas & æternitas, & immutabilitas &c. ubi creaturas ait à Deo discriminari, quia ipse sunt veritabiles in nihil; Hieronimus in *epistol. ad Marcel.* ait, quia incommutabilis est quia ille tantum est, qui non novit fuisse, & cetera comparatione illius vere non sunt: item in *cap. 3. ad Ephesios* id explicat, quia Deus nullius beneficio est; cetera sunt beneficio Dei eaque propter nomen commune sibi retinuit, quia substantiam habet à se, cetera ab illo, item Ambrosius *epist. 93.* exponit quia in ipso non est. Est & non est, sed solum est. Hæc propositi ut cernatur sensum esse de essentia Dei à se & incommutabili, non vero de distinctione à nobis tradita inter essentiam & existentiam.

206 Ex quibus manifeste patet nullius momenti esse argumentationem aduersariorum fundatam in supradictis verbis; nam nullius momenti erat signum identitatis inter essentiam & existentiam actualem ad ostendendum Deum esse qui mittebat Moysen, sicut

v. g. nullius momenti est ad ostendendam magnitudinem Dei quod idendividuatio divina identificetur cum prædicatis superioribus, quia talis identificatio non denotat in Deo infinitatem ipsius, ac proinde potest convenire creaturis, ut à nobis asseritur: ergo aliud signum excellentius & proprium Dei in omnium sententia debebat tribui Filiis Israël, quod non posset convenire creaturis, ut ipsi reciperent Moysen tanquam legatum Dei ac infiniti Regis; hoc autem non poterat esse aliud quam habere existentiam à se ipso sine aliqua causa, quod adeo proprium & excellentissimum prædicatum Dei est, ut nulli creaturæ possit aliquomodo convenire, cum sit infinitudo per essentiam quæ solius Dei propria est, & implicat convenire creaturæ: ergo hoc signum potius quam illud aduersariorum tradidit Moyses ad ostendendam magnitudinem, & excellentiam Dei mittentis ipsum: ergo ex loco Exodi nihil colligitur in favorem aduersariorum.

Ad quartum quod est prima ratio respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorem, essentia actualis & existentia, nego minorem: essentia possibilis, & existentia actualis, concedo minorem, & de his asserimus distinguere à parte rei ad probationem minoris concedo maiorem; & distinguo minorem quoad secundam partem non corrumpitur essentia; possibilis concedo; non corrumpitur essentia actualis, nego: ad probationem minoris distinguo maiorem; essentia possibilis seu possibilitates earum concedo maiorem; essentia actualis nego maiorem: ad confirmationem primam eodem modo respondeo concedendo maiorem & distinguendo minorem, essentia entis creati possibilis, aut possibilitas essentia concedo minorem; essentia actualis, nego minorem.

Ad secundam confirmationem concedo maiorem; & ad minorem, dico essentiam actualem interdum existeret & interdum non existeret, non ita ut essentia perseveret destructa existentia, nam statim ac non existit essentia actualis destruitur ipsa; unde sicut de ipsa existentia est verum dicere quod aliquando existat, aliquando non existat; ita similiter est verum de essentia actuali quod existat & aliquando non existat: sed non ita ut non existente essentia actuali detur ipsa essentia actualis, quia hoc est falsum; quia destruitur ipsa cum existentia; de essentia autem possibili est verum dicere ut existat, & non existat perseverante eadem essentia possibili sub existentia & sub negatione existentia; & sic dicimus essentiam possibilem distinguere à parte rei ab existentia actuali, quibus manet soluta tota ratio Aduersariorum à §. confirmatur secundum, usque ad quintum argumentum exclusivæ.

Ad quintum argumentum distinguo antecedens, non est de conceptu essentiali & quidditativo essentia actualis, nego antecedens; non est de conceptu quidditativo essentia possibilis, concedo antecedens; unde concedimus, etiam essentiam actualem creatam concipi non posse absque existentia, licet essentia possibilis possit concipi sine existentia actuali: unde asserimus existentiam actualem sicut & essentiam actualem contingenter convenire creaturis possibilibus, unde negandum est absolute essentiam actualem esse necessariam simpliciter; verum tamen est quod essentia possibilis & secundum possibilitatem sit necessaria omnino, ut late à nobis probatur *tractatu de possibilitate rerum*.

Ad ultimum argumentum optime respondet Pater Hurtado retorquendo illud contra ipsos aduersarios, nam esse heri unionem simpliciter & vnire non est esse unionem & vnire hodie: ergo esse unionem simpliciter heri & hodie est successuum; sed hæc est essentia unionis: ergo unionis essentia est successiva.

quod est falsum: ecce retorquetur tuum argumentum contra te; unde quidquid responderis huic, respondebo tibi: Respondeo igitur ad tuum argumentum negando minorem, ad probationem distinguo antecedens, existere heri, & hodie secundum conceptum in recto positum non est idem, nego antecedens, secundum tempora extrinsece connotata concedo; & nego consequentiam, sicut me coexistere Petro, & Paulo non est idem, non ex parte mei, sed ex parte connotati, quia præter meam existentiam connotantur existentia Petri, & Pauli, sed ex parte intrinsece idem est connotare, & coexistere Petro, & Paulo quia est eadem existentia connotans utrumque, & coexistens utrique, ita me existere heri, & hodie distinguuntur ex parte heri & hodie, non tamen ex parte existentia quod patet in Deo, cuius existere heri si sumatur ex parte heri non est existere hodie, similiter sumptum ex parte hodie, quia si non produceret diem hodiernum non existeret hodie quia est idem ac coexistere hodie.

211 Dices, quia Deus ita existit per aeternitatem indivisibilem ut non possit non existere; at idem contingeret creaturæ semel existenti si eius existentia est indivisibilis, quia simul haberet rationem existendi per totam aeternitatem, & existere heri esset extrinseca denominatio.

212 Verum in essentia simpliciter, & vnire simpliciter confici potest idem argumentum, quia si vnio semel est vnio simpliciter habet omne requisitum ad essendum, & habendam existentiam æternam, respondeo ergo existere heri in Deo & nobis esse denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam, sicut coexistere Deum rebus, & me, Petro; discrimen autem illud probat Deum esse ens necessarium, nos autem contingenter; & quamuis nostra existentia est abstracta & independens à tempore, non tamen est independens à libera voluntate Dei, quæ illam potest destruere hodie, ei destruendo idem esse quod ei dederat heri per solam cessationem conseruationis, sicut potuit eam non producere heri.

SUBSECTIO.

Argumenta secundæ sententiæ dissoluntur.

213 **A** Nec solutionem primi argumenti Caietani quod maximam continet confusionem, & equiuocationem aduerto esse irreceptum posse dupliciter intelligi, vel irreceptum ab alio vel in alio: irreceptum ab alio est idem quod improductum, & imparticipatum, ab alio independens & à se irreceptum in alio est illud quod non est in alio tanquam in subiecto, quo posito. Respondeo ad illud argumentum primum distinguendo maiorem. Omne esse irreceptum simpliciter & in omni genere causæ est infinitum, concedo maiorem; irreceptum in vno genere scilicet in genere causæ materialis & in alio scilicet in genere causæ efficientis receptum, nego maiorem: deinde ad probationem maioris distinguo, omne esse purum est esse infinitum simpliciter, finita sit purum ut non sit permixtum potentialitati ad non essendum, & potentialitati ad recipiendum, concedo; omne esse purum id est non compositum ex essentia tanquam ex potentia receptiua & existentia tanquam ex actu realiter distincto ab illa, nego; quia quamuis creatura quantum ad hanc rationem vocari possit esse purum, non tamen erit tale absolute ac simpliciter, quia eo præcisè quod creatura sit ens secundum, necessarium debet esse admixta potentialitati ad non essendum & potentialitati compositionis respectu

inherentia vel substantia, in quo distinguitur, à Deo, qui nullam habet potentialitatem ad non essendum, neque potentialitatem ad componendum cum substantia, quare etiam si careat creatura potentialitate compositionis, non potest dici pura simpliciter, quia habet alias potentialitates quas non habet Deus, ratione cuius purissima entitas dicitur ipsa, quare causalis illa neganda est, ideo ens creatum esse ens limitatum, quia prædicamentis permixtum, est enim falsa illa si ut proprie causalis sumatur, cum potius ens creatum ideo natum sit prædicamentis permixtum, quia esse limitatum est ex se ea solum ratione qua ab alio est, eo enim ipso quod ab alio ens dicitur immersum esse imperfectionibus & potentialitatibus.

Item in sententia probabiliori etiam à posteriori potest negari creaturam ideo esse admixtam prædicamentis quia est limitata, cum Deus in prædicamento existat ut à multis probabiliter defenditur: deinde ens artificiale & ens per accidens omnino limitata sunt, & nihilominus non ponuntur in prædicamento: ergo quod ponatur vel non ponatur in prædicamento: non est signum euidens à posteriori illimitationis, vel limitationis &c.

Ad primam confirmationem nego antecedens ut constat ex dictis.

Ad secundam confirmationem responderetur limitationem entis creati & posse esse physicam, & posse esse metaphysicam. Physica desumitur à causis physicis, & præsertim à prima efficiente & ab ultimo fine à quo omne esse creatum dependet qui est Deus, unde causas creaturam primo efficienter, secundo finaliter, ultimo quia est ultimus finis illius.

Metaphysica vero sumitur tum à limitatione propria naturæ & substantia, quatenus distinguuntur inter se à parte rei; tum à differentiis metaphysicis quæ ut dixi in logica desumuntur à tota rei entitate secundum quod ab aliis distinguitur, quare esse creatum licet non sit esse receptum in alio tanquam in subiecto, quia tamen est receptum ab alio participatum & causatum à Deo est esse omnino limitatum physice, quia eo ipso non est à se physice quæ est maxima limitatio ut libris physicorum docuimus tractu de infinito, metaphysice vero determinabitur, seu limitabitur per differentiationem propriam metaphysicam; cum enim esse illud comparatione naturæ aut essentia specificæ cuius est, concipiatur ut actus, sit ut esse seu existentia naturarum secundum speciem distinctarum concipiamus ut essentialiter inter se distinctas, atque adeo conuenientes in communi aliqua ratione generica extrahendi rem extra causas differentesque aut distinctas in rationibus extrahendi hanc potius quam illam essentiam specie distinctam, neque obest existentiam ultimam esse actualitatem, quia ut iam dixi non est ultima actualitas comparatione potentia essentia seu naturæ; sed solum comparatione potentia logicæ, & obiectiua: tandem si Caietanus instet pertinaciter asserendo eo ipso quod aliqua entitas sit irrecepta in aliquo subiecto debere esse infinitam, manifeste conuincendus est his manifestis exemplis; nam essentia Angli quatenus distinguitur ab existentia in nullo subiecto recipitur, & limitata; item essentia materie primæ in nullo subiecto recipitur, quia ipsa est primum subiectum, & nihilominus nullo modo est infinita, sed potius finita impetfectissima, & ut ita dicam limitatissima: ergo similiter ex eo quod aliqua existentia seu esse non recipiatur in aliquo subiecto, ac proinde sit esse irreceptum in genere causæ materialis non potest dici esse infinitum, alias quia essentia esset irrecepta in genere

Quaest. III. Vtrum essentia disting. &c. 39

nere causae materialis diceretur infinita in ratione essentiae, quod nullus audebit dicere; quare ex sola irreceptione in genere causae efficientis, ut supra explicui, optime colligitur infinitudo simpliciter quae nulli creaturae convenit.

218 Ad secundum principale argumentum concedo maiorem & distinguo minorem: essentia possibilis concedo: essentia actualis nego.

219 Ad tertium concedo maiorem & distinguo minorem. Praedicata quidditativa actualia nego minorem, praedicata quidditativa potentialia concedo minorem, in quibus fundatur illa propositio aeternae veritatis & non fundatur in actualibus praedicatis, ut patet ex dictis *tratt. de possibilitate*.

220 Ad ultimum argumentum concedo maiorem & nego minorem, quia creaturae licet non conveniat compositio ex esse & essentia convenit compositio ex natura & substantia distinctis ex natura rei, ut patet in Angelis & in omni substantia creata, si autem substantia fuerit completa corporea convenit illi compositio ex partibus essentialibus & integralibus: tandem si substantia est pura spiritualis admittit compositionem substantiae & accidentium realium, per quas omnes compositiones distinguuntur creaturae a Deo.

QVÆSTIO III.

Vtrum essentia actualis distinguatur per rationem ab existentia.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

P R I M A sententia docet essentiam actualem & existentiam distingui per rationem inter se distinctione excludentis ab excluso, ita ut sint duae formalitates, quarum una non includitur in alia, eo modo quo se habent animal & rationale: hac est sententia valde communis inter Doctores excludentes distinctionem realem inter essentiam & existentiam. Pro hac citatur Pater Suarez *disput. 31. metaphysica, sect. 6. num. 16*. ubi sic inquit. Nullus est Theologorum qui distinctionem rationis inter essentiam & existentiam non admittat.

2. Probatur primo, ideo existentia Dei non potest distingui ab eius essentia, quia Deus est a se, & ideo non praebet ansam intellectui ut concipiat essentiam Dei sine existentia, sed essentia creaturae non est a se: ergo potest concipi sine existentia.

3. Secundo, existentia concipitur ut praedicatum contingens respectu essentiae; sed illud quod concipitur ut praedicatum contingens respectu essentiae alterius, saltem per rationem distinguitur ab illo cui contingit: ergo essentia & existentia distinguuntur.

4. Tertio in Christo supponimus de fide esse duas naturas, & quaerimus an sint duae existentiae: ergo signum est quod essentia & existentia saltem per rationem sunt duae formalitates distinctae.

5. Quarto isti termini essentia & existentia non sunt synonymi: sed si essentia & existentia non distinguuntur per rationem, essent termini synonymi: ergo essentia & existentia distinguuntur per rationem.

6. Ultimo, si essentia & existentia non distinguuntur per rationem, existentia esset de conceptu essen-

tiae creatae: sed hoc implicat: ergo distinguuntur per rationem. Probatur minor, existentia solum est de conceptu essentiali Dei: ergo non est de conceptu essentiali creaturae.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur.

P R I M A conclusio: essentia non distinguitur per rationem ab existentia distinctione excludentis ab excluso, atque adeo essentia rei non potest praecendi ab existentia. Hanc conclusionem expressè docet Pater Suarez *tom. 3. in 3. partem, disputat. 49. sect. 4. §. 2.* principaliter, ubi sic inquit. [Actualitas existentiae est ita intima rei propter est vera, realis & actualis entitas, ut nullo modo discerni possint tanquam actus & potentia respectiva, quia separata existentia etiam per intellectum solum intelligitur manere potentia obiectiva; nam si intelligitur manere aliquid actu, ens illud est existens.] sed clarius & melius loquitur idem eximius Doctor, *tom. 1. in tertiam partem, disputat. 36. sect. 1. §. ex ratione vero*, ubi ita expressè ponit meam conclusionem ut dubitari non possit, imo illam probat ratione quam evidentem existimo in hac re eamque postea subiiciam, in hoc igitur loco sic inquit. [Ex ratione verò existentiae sic explicata colligitur primo fieri non posse ut aliquid sit ens in actu, seu quod concipiatur tanquam actualis entitas qui in suo conceptu formaliter includat existentiam, ita ut nec per abstractionem praecipiatur intellectus possit unum ab altero separari manente conceptu utriusque.] Ecce asserit expressè meam conclusionem; neque est sibi contrarius eximius Doctor citatus supra pro prima sententia, quia ibi non dicit distingui essentiam ab existentia mutuo; sed solum distingui per rationem quod stat cum mutua inclusione utriusque, quod declarat ipse Doctor in *metaphysica disput. citata sect. 13. num. item 13.* ubi asserit quod compositio ex essentia & existentia est ad modum compositionis substantiae, substantia autem ab ente in sententia eximij Doctoris solum distinguitur penes explicitum & implicitum, probatur sic.

Tunc aliqua non distinguuntur per rationem modo dicto in conclusione, quando ita se habent ut unum non possit concipi sine alio: sed essentia realis non potest concipi sine existentia: ergo essentia realis non distinguitur ab existentia adaequate distinctione excludentis ab excluso. Probatur minor, implicat concipi aliquem effectum vel quasi effectum formalem non concepta forma vel quasi forma constituyente illum: sed existentia est forma vel quasi forma constituens essentiam realem, actualem: ergo implicat concipi essentia realis actualis non concepta existentia: maior est evidens, quia non potest concipi album constitutum in ratione albi, quin in illo conceptu includatur albedo, quia forma est de essentia effectus formalis, sed res non potest concipi sine sua essentia, quia essentia est id sine quo res neque esse neque intelligi potest: ergo. Minor autem praecipua est sententia omnium Doctorum cum quibus nunc pugnamus, quia ut constat ex *questione superiori*, res constituitur in ratione entis realis, per existentiam; quod sic patet, quia existentia realis est esse reale actuale, & esse reale actuale est ens reale actuale, ut patet *questione superiori*, ubi latè probauimus ens, esse, & essentiam, esse synonyma: sed essentia realis actualis constituitur in suo esse per rationem entis realis actualis, quod est primum praedicatum